

semper aderunt, et ibidem diligenter illa, quae iisdem secundum praescriptum Legum incumbunt, curabunt. Quod si autem in Sclavonia et Syrmio tales Causae occurrerent, quae antecederent jam per Instantias, quas hactenus habuerunt, finaliter decisaе et superatae fuerunt, tunc res judicata pro tali relinquatur et maneat, amplius coram Comitatu non resuscitanda; pendentes tamen, seu ibidem jam praevis inceptas, nondum tamen finaliter terminatas Lites, Causantes, si vel ambae Partes, vel Jure conventae saltem Provinciales fuerint, vel de re Jurisdictioni Provinciali subjecta agatur, non alibi, quam coram Comitatu et Foris Provincialibus, servatis de Jure servandis, promovere poterunt. Et quia

Quarto: Memorati Comitatus Magistratus adinstar aliorum Comitatum Jure etiam Gladii gaudebit, igitur in solerter persequendis ac pro demerito etiam puniendis Praedonibus aliisque Malefactoribus omnem Laborem et Industriam pariter impendet, quo taliter in Syrmio quoque et Sclavonia intrinseca quies et tranquillitas restabiliatur, Malefactoresque condigna et promerita poena puniantur. Quem in finem Comitatus in bono ac securo Loco, ipsi per Commissionem Nostram assignando, etiam Carceres pro Delinquentibus, sub bona Custodia et provisione servandis, habebit, et reliqua etiam ad Exercitium Juris Gladii necessaria requisita procurabit.

Quinto: Et cum Suprafatis Regijs Commissarijs Nostris ex peculiari gratia et Clementia Nostra facultatem hac vice benigne concessimus, ut ad citius atque facilius in illis partibus reducendam publicam quietem et tranquillitatem generalem Amnystiam pro Praedonibus, in Libertate adhucdum constitutis, consequenter sub Judiciaria potestate nondum existentibus, Altissimo Nomine Nostro eo modo publicare possint, ut praefigendo illis Terminum, intra quem semet coram ipsis vel Superioritate sua sistere debeant, et ut tales, qui semet sponte sistent, vel Militaria Servitia statim amplectantur, vel deposito praevis Juramento, quod deinceps a Praedocinijs et alijs Maleficijs penitus abstinere et Domi suae constanter permanere velint, semet in unam vel alteram Pagensium Communitatem inscribi curare teneantur. Igitur hujus quoque effectuationi omnimode intentus erit Magistratus.

Sexto: Siquidem praefatus Comitatus, quamvis Regno Nostro Croatiae caeteroquin incorporabitur, suam altamen Contributionem praestare et Illocationes Militares aliaque Concomitantia onera Publica adinstar Comitatum Regni Nostri Hungariae supportare debeat: Hinc Comitatus iste et ejusdem Magistratus, in reliquis quidem praefatorum Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banali et Provinciali Jurisdictioni, cui praevis modo incorporabitur, adinstar aliorum in iisdem Regnis sitorum Comitatum suberit, in Contributionibus tamen et alijs Contributionem concomitantibus et fundum illius tangentibus et respicientibus oneribus et dispositionibus Publicis, adinstar Comitatum Hungaricorum, immediate a Regio Hungarico Locumtenentiali Consilio Nostro, prout et constituendus in illis Partibus Provincialis Commissarius in rebus Officij a Directore Provincialis Commissariatus Hungarici, dependebunt, debitam cum iisdem Correspondentiam in praemissis habituri, et eorundem Dispositionibus parituri. Regulamentoque etiam Militari, quod in Sclavonia et Syrmio actu viget et in usu est, usque ulteriorem Majestatis Nostrae Dispositionem semet debite conformaturi.